

ANNOTATA ANTI GROTIANA

PARS II.

PARÆNETICA.

*Exhortans, ut templi S.S. ratio habeatur,  
ne corrumpatur.*

“

V. 16 Οὐκ οἶδατε, ὅτι ναὸς Θεῶν ἔστε.

“

Redit ad comparationem cœptam supra, à qua ad alia quædam, affinia tamen, deflexerat. Philo familiam Abrahami templo comparat. Rabbi Alscheck ad Aggæum II. ait populum Israëliticum dici templum DEI. Multò iustius verò Christiani & singuli & collecti ob Spiritum DEI in ipsis habitantem. Vide infra VI, 19. 2. Cor: VI, 16. Salvianus ad sororem: *Benedictus itaq; DEus noster, qui semper Spiritus tui custos nunc præcipue etiam carnis fuit, & in te manens teq; custodiens manum suam ex interioribus tuis usq; ad exteriora porrexit: Non solum sancta sanctorum, sed etiam vestibula templi sui & circumseptæ servavit, protectionemq; suam latius pandens fecit salutem animæ tuæ usq; ad salutem corporis pervenire.*

“

Καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς Θεῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν.

“

Kal id est quia. Multò angustior hæc inhabitatio, quàm illa per fulgorem apud Arcam.

“

V. 17. Ἐὶ τις τὸν ναὸν τῆς Θεῶν φθείρει.

Destruit quod fieri solet malis doctrinis & malis exemplis Rom: XIV, 15. Hic infra VIII, 11.

“

Φθέρει τῆτον ὁ Θεός.

“

Id est gravissime puniet nisi nempe monitus resipiscat. Φθέρει hic quod ἀπολέσει Matt. XXI, 41. Sic Athaliam, sic Balthasarem perdidit DEus, illam quod templum; hunc quod templi donaria profanasset.

“

Ὁ ναὸς Θεῶν ἁγίος ἐστίν.

“

Sancta violari non debent.

“

Ὅι τις ἐστε ὑμεῖς.

Id est quod templum vos estis. Nam Relativum inter duo substantiva positum modo recipit genus & numerum præcedentis, modo subsequenti.

Qvo-